

et libras quattuor cuiuslibet Scolarum sive fraternitatum in quibus sum. Item dimitto soldos viginti *denariorum Venetorum grossorum* Presbitero JOHANNI JUSTINIANO notario pro labore istius mei testamenti et ut Dominum pro me teneatur deprecare. Item absolvo PETRUM famulum meum de genere Tartarorum ab omni vinculo servitutis ut Deus absolvat animam meam ab omni culpâ et peccato. Item sibi remitto omnia que adquisivit in domo suâ suo labore, et insuper dimitto libras *denariorum Venetorum* centum. Residuum vero dictarum duarum millia librarum absque decimâ distribuatur pro animâ meâ secundum bonam discretionem commissariarum mearum. De aliis meis bonis dimitto suprascripte DONATE uxori et commissarie mee libras octo *denariorum Venetorum grossorum*, omni anno dum ipsa vixerit, pro suo usu, ultra suam repromissam et stracium et omne capud massariorum cum tribus lectis corredatis. Omnia vero alia bona mobilia et immobilia inordinata, et si de predictis ordinatis aliqua inordinata remanerent, quocumque modo jure et formâ mihi spectantia, seu que expectare vel pertinere potuerunt vel possent, tam jure successorio et testamentario ac hereditario aut paterno fraterno materno et ex quâcumque aliâ propinquitate sive ex lineâ ascendenti et descendenti vel ex colaterali vel aliâ quâcumque de causâ mihi pertinentia seu expectantia et de quibus secundum formam statuti Veneciarum mihi expectaret, plenam et specialem facere mentionem seu dispositionem et ordinationem quamquam in hoc et in omni casu ex formâ statuti specificiter facio specialiter et expresse dimitto suprascriptis filiabus meis FANTINE, BELLELE, et MORETE, libere et absolute inter eas equaliter dividenda, ipsasque mihi heredes instituo in omnibus et singulis meis bonis mobilibus et immobilibus juribus et actionibus, tacitis et expressis qualitercumque ut predicatur michi pertinentibus et expectantibus. Salvo quod MORETA predicta filia mea habere debeat ante partem de more tantum quantum habuit quelibet aliarum filiarum mearum pro dote et corredis suis. Tamen volo quod si que in hoc meo testamento essent contra statuta et consilia Communis Veneciarum corrigantur et reducantur ad ipsa statuta et consilia. Preterea do et confero suprascriptis commissariabus meis post obitum meum plenam virtutem et potestatem dictam meam commissariam intrmittendi administrandi et furniendi, inquirendi inter-